Vahlero suo

salutem plurimam dicit, nuptias modo celebratas nunciat, nuncium, optimae spei philologum, commendat

H. Ilberg.

EXERCITATIONES CRITICAE

SCRIPSIT

HUGO ILBERG.

SEDINI

A. MDCCCLV

TYPIS F. GRADII.

Homero item Vergilioque probata comparatio instituta parvis enunciatis laxe compositis ita continuetur, ut compendiosam quandam enarrationem nobis habere videamur: quam nativam simplicitatem diluit, qui ann. 344. e. q. s. in Mus. Rhen. p. 277. nuper constituit:

veluti si quando vinclis venatica velox
apta canis, si forte [feras] ex nare sagaci
sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute.

veluti si q. v. v. venenoxapta solet si forte ex nare e. q. s. cod. Festi p. 177. Nempe pro glossemate habet *solet,* exortum, ut opinatur, ex *si olet*, id quod valde improbabile duco: nec dubitat anapaesto *veluti* pro dactylo vel spondeo admisso Praenestinarum sortium quas vocant licentiam propter meliora vellem exempla Ennio Graecae severitatis inter Romanos auctori et vindici acerrimo tribuere. Quod non magis probandum est — minime vero h. l. quo voce *sicut,* quae ultro sese offerebat, poetam asperitatem evitare noluisse, quis est qui credat? — quam Bergkii illud inventum, qui idem de trochaeo sine idoneis exemplis affirmare ausus est in ephem. lit. hal. a. 1842. II. 230. cf. Vahl. p. LXXVIII. At id verum est, licere quidem dicere ex more in comparationibus satis frequenti *velut si sensit, velut si solet* non licere. Itaque *si* corruptum esse ratus, quum interdum faciant poetae, ut duplicem comparationem instituant — facile autem *velut canis* oriebatur ex *vel canis ut* — emendandum esse arbitror:

vel canis ut quando vinclis venatica velox
apta solet, si forte [feras] ex nare sagaci
sensit, voce sua nictit, ululatque ibi acute.

Item leni manu subveniamus Ennio apud Servium in Aen. VIII. 361. „alii (sc. dicunt carinas) quod ibi (h. e. in lautis carinis) Sabini nobiles habitaverint, quorum genus irridere et carinare solebat. Carinare autem est obtrectare. Ennius: *contra carinantes verba atque obscena profatus.*“ Quo in fragmento resarciendo ii tantum rectum cursum tenuerunt, qui reiectis grammaticorum de carinandi cum carina cognatione somniis duas priores syllabas huius verbi, quod a carendo deductum est, pyrrhichium non iambum efficere cum Salmasio (exercit. Plin. p. 283. 2.) intellexerunt. Qui tamen quum emendat *Et contra carinans verba atque obscena profatus,* perperam aut accusativum *verba* ex participio *carinans* suspendit, quod est *probra obiectans* (Paul. Festi p. 47) sive *illudens, irridens* (gloss. Isid. Vet. gloss. A. Mai. auct. cl. VI. 530) aut coniunctionem *atque* traiectam esse voluit, quod nunquam sibi indulsit Ennius, apud quem *atque* saepius quadragies, *ac* octies invenitur, quemadmodum idem cum Lucretio nunquam id sibi licentiae sumpsit in coniunctione

et, atque in scriptionibus Catullo antiquioribus, ut ait Lachmannus ad Lucr. VI. 1067, ante *nam* oratio necessario inciditur. Quid? quod coniunctionum copulativarum traiectionem omnes antiquiores poetas latinos non minus quam Catullum ignorasse ipsaque Catulli aetate primum eam apparuisse et raro M. Hauptius observavit: cuius consuetudinis, quae circa septimi a. u. c. saeculi finem increbruit, originem idem suspicatur in Alexandrinorum poetarum, quorum carmina illa aetate inprimis studiose lectitari coepta sunt, imitatione quaerendam esse (observat. crit. p. 42. 53). Scite igitur Vahlenus meus, ut et versus constaret et adiectivo *obscena*, de quo conferas Fest. p. 201. „quom apud antiquos omnes fere obscena dicta sint, quae mali ominis habebantur," suppar adiectivum praemitteretur: *contra carinantes Verba [atra] atque obscena profatus.* At ut iam omittam, quod aliquando tentabam *contra carinavit, acerba Atque obscena profatus*, et lenior medela et qua intra duas caesuras sententia contineatur, adhibenda videtur scribendo:

contra carinantia verba
atque obscena profatus.

ia enim librariorum incuria interdum in *is* vel *es* abiisse vix opus est exemplis stabilire. *carinantia* autem *verba carinantibus chartis* paulo infra a Servio ibidem (ann. 229) memoratis satis opinor defenduntur.

Contra, ut cum Justo Lipsio loquar ant. lect. II. 22. nunquam Hippolytum tam male equi sui acceperunt quam imperiti nebulones (librarios dicit) duodeviginti illos versus Ennianos de veri amici officio, qui extant apud Gellium N. A. XII. 4. Idem vero quod adicit, non solum eos emendanti ex successu praemium, sed etiam emendare conanti ex ipsa audacia laudem deberi, bonum animum sufficit. Itaque laudandus quidem, sed si quid video praemio non donandus Vahlenus, qui primos eorum emendare conatur: *Haece locutu' vocat, quocum bene saepe libenter Mensam sermonesque suos rerumque suarum Congeriem partit.* Libri suppeditant: *comiter īpertit* Bern. Reg. *comitū* Lugd. *inpertit* Vossian. *comiter impartit* ceteri. Ne multa, scribendum videtur:

mensam sermonesque suos curamque suai
comis rei partit.

Nempe *comitatem* ne *congerie* vix et ne vix quidem fausta alite invecta obtegi patiar, cautionem iubet ipse Gellius, qui singulos fere versus percensens a poeta descriptum definitumque esse ait, quo ingenio, qua *comitate*, qua modestia, qua fide, qua linguae parsimonia, qua loquendi opportunitate . . . amicum esse conveniat hominis genere et fortuna superioris. Atque *curam* quidem desumpsi ex Vergilio Aen. XI. 820. procul dubio huc respiciente: *Tum sic exspirans Accam ex ae-*

qualibus unam Adloquitur, fida ante alias quae sola Camillae, Quicum partiri curas, atque haec ita fatur. Quod postquam in *rerum* corruptum est, ultro in *suarum* transiit *suai,* quem genetivum recte Bergkius l. l. ann. 347 *Aspectabat virtutem legioni' suai* pro Philargyri *sive* substituit. *Comis rei* autem, quod poeta ipse tribus syllabis protulerit, importuni librarii, qui quidem quattuor proferebant, non tulerunt, nimirum iidem, qui elisionis literae s immemores hoc fragmentum clauserunt *compellat Servilius sic,* quum poeta scripsisset, quidquid nonnulli obloquuntur, *Servilius sic compellat,* et IIII. 17, uti Lachmanno videtur ad Lucret. VI. 1067, *Scipiadae magno improbus obiciebat asellus* corruperunt ex *Improbus Scipiadae magno obiciebat asellus* et, ni fallor, VI. (VII). 2. *quem (Hannibalem) credidit esse meum cor Suasorem summum et studiosum robore belli* exhibuerunt pro multo potiore ad Homeri consuetudinem composito *roboris belli.* In eodem genere Ciceronis librarii subinde peccarunt cf. ann. 48. 86. Obsoletiores autem formae, qualis est *suai,* plerumque obliterabantur, velut *noenum* illud ann. 314. 411. 161. postliminio reductum et tantum non semper genetivi in *ai* exeuntes: adde quod etiam apud Nonium p. 134 „Ennius: *fortunasque quas coepere latrones inter se memorare*" haud scio an neque *ecquas* neque *suas* sed *vias,* quem genetivum Priscianus I. p. 221. Kr. Ennio vindicat, restituendum sit.

Apud eundem Nonium, triste illud veterum scriptorum naufragium, quae p. 312. s. *fundere* misere corrupta extant: „Et Aen. lib. II.: *fusis* (*fusissi* Genev.) *sine mente ac sine ullo sed subiacerent* Bern. a. Genev. *fusissi sine mente ac sine ullo subiacerent* cet. codd. recte iam Junii et Mercerii opera a Vergilio, apud quem nullum horum verborum vestigium indagaveris, ad Ennium translata et a Vahleno ita constituta: *fusi sine mente Ac sine sensu ullo iaceant,* ea et paulo rectius restituere et uno versu comprehendere licet Lucretio iu auxilium vocato, qui quam saepe Ennium nec raro in re satis diversa expilaverit, neminem harum rerum intellegentem fugit, l. III. 113: *Effusumque iacet sine sensu corpus honustum.* Itaque probabile videtur emendare:

fusum si (fusū si) sine mente ac sensu corpus iaceret.

In editione Nonii bibliothecae nostrae una cum Festo et Varrone de l. l. Venetiis per magistrum Antonium de Gusago Brixiensem a. 1498 impressa hic quidem nullo emolumento legitur: *fusus sine mente: ac sine substentaculo iacere,* auctoris nomine non adiecto. Ceterum vero ea editio, cuius Gerlachius rationem non habuit, lacunosa quidem sed admodum memorabilis est, velut fol. XLV. s. lacte i. e. lac habet: „Enni. annali. libro IIII. *ex tyberi lacte hauriri,*" quum codd. et aliae edd.

hoc fragm. ab alio scriptore non proditum (cf. Krausium fr. hist. rom. p. 163), in quo *haurire* exhibent, Cassio Heminae asserant.

Idem Lucretius ut multa Ennio debet, ita par pari referens fragmento eius lucem affundit, quod, quantum scio, nondum interpretem invenit l. III. 1029. e. q. s. *Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum Stravit iterque dedit legionibus ire per altum . . Et contemsit equis insultans murmura ponti, Lumine adempto animam moribundo corpore fudit. Scipiadas, belli fulmen, Carthaginis horror, Ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.* Qui versus laude superiores de imitatione Ennii, qui multus fuerat in laudibus Africani — crederes *quondam* esse *quod Calabrae Pierides quondam praedicabant* — plus uno nomine suspecti sunt: nam ultimus certe eorum et qui proxime praecedit v. 1025 *lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit* inde fluxerunt cf. ann. 316. 150. Amplificantur autem his versibus — ne quis ieiunitate quorundam *aquis* pro *equis* exhibentium irretiatur — Graecorum illa quae Cicero de fin. II. 34. expressit: *cum Xerxes tantis classibus tantisque copiis maria ambulavisset* cf. Lysiam in epitaph. *ὁδὸν μὲν διὰ τῆς θαλάττης ἐποιήσατο, πλοῦν δὲ διὰ τῆς γῆς ἠνάγκασε γενέσθαι.* Isocrat. paneg. c. 25. *ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης,* al. E quibus quem tertium posui, adeo consentit cum Enniano ann. 546.

contempsit fontes, quibu' sese erugit aquae vis,

ut in simili, immo in eadem re usurpatus fuisse videatur. Etenim fontes etiam maris esse, quibus color verborum satis convenit, credebat antiquitas, ut cum aliis auctor est Plato in Phaedone p. 111. C. cf. Aristot. (?) *περὶ κόσμου* p. 396. a. *πολλάκις . . καὶ ἀναφυσήματα γίνεται πυρὸς ἐν τῇ θαλάττῃ καὶ πηγῶν ἀναβλύσεις καὶ ποταμῶν ἐκβολαί*: eoque pertinent, quae rectius Lachmanno Bernaysius constituit apud Lucr. I. 230. *Unde mare ingenui fontes externaque large Flumina suppeditant? unde aether sidera pascit?*

Quoniam vero, ut aiunt, variatio delectat, iam ad aliud disputationis genus transeo. Sat multa enim priscae poesis fragmenta in pedestrem sermonem soluta hodieque per libros ad nos propagatos extare, et per se probabile est et nuperae multorum ex nostratibus curae ostenderunt: quae quum auctoris nomen prae se ferunt, plerumque facile est, quod solum faciendum restat, formam quae a genuina non multum diversa videatur restituere, velut e Servio ad Aen. I. 281 „quia bello punico secundo, ut ait Ennius, placata Juno coeperit Romanis favere“: *Romanis Juno coepit placata favere,* vel e Cicerone de div. II. 62. 127 „aliquot somnia vera, inquit Ennius, sed omnia non est necesse,“ ubi coniecturam olim a nobis

propositam *somnia vera aliquot, verum omnia noenu necesse est* (vel: *quaedam s. v. sed o. n. n.*) commendat, quod nuper in codice Leid. b. repertum est: *omnia non nunc* (*nunc* lineola transversa notatum) *necesse est* vel e Servio in Aen. III. 384 „sed in annalibus legitur: confricati, oleo lentati paratique ad arma“: *confrictique oleo lentati e. a. a. p.* Denique omnium opinor probabilissima haec est opinatio ex annalium hexametro profecta esse, quae tradidit Plinius N. H. XVII. 8. 84. „Et Ennius antiquissimus vates obsidionis famem exprimens offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat,“ qui tamen qualis fuerit, (an *eripuere offam natis plorantibus patres?*) certe definiri nequit. Difficillimum contra solet esse, omisso auctoris nomine, verba poetae haberi, certis evincere argumentis. Velut Appuleium Madaurensem exordium libri VII. de asino aureo „ut primum tenebris abiectis dies inalbebat“ ab Ennii versu desumpsisse quis crederet affirmanti? Quo tamen nihil certius est collato Achille Statio ad Catullum 64. 40. „Ennius . . in sexto: *ut primum tenebris abiectis inalbabat*“, cui recte substituit Wakefieldus ad Lucret. I. 83 *indalbat.* Idem vero Appuleius quum pergit „Et candidum solis curriculum cuncta collustrabat“, ea verba non solum vel magis illis et nitore quodam orationis, qualis poetarum esse solet, et, quo nihil priscae poesi familiarius, literarum initialium concentu insignia sunt, verum etiam non difficilius unum in hexametrum coeunt. Quare non verendum est, ne temerarium sit suspicari, apud eundem Ennium, qui multus est in solis ortu illustrando (*Inde patefecit radiis rota candida caelum* ann. 548. 93. 547), versum ita fere conceptum extitisse:

cunctaque curriculo sol candidus collustrabat,

quem priori illi continuo successisse probabile est. *Curriculum solis et lunae* memoratur etiam Ciceroni in Timaeo ap. Non. p. 198. Quid quod vel commodius versus resarciri possit probata voce *curriculus,* cuius exempla quidem hodie non extant — ambiguum enim est, quod e Varrone refert Nonius p. 263 — sed agnoscunt eam Paulus Festi p. 49, Charis. I. p. 59 P. Prisc. p. 714 P. Non. l. l., quibus accedit Incertus de gen. nom. 74 ed. Otto: „Currus generis masculini et ideo diminutive curriculus: nam Cicero curriculos et curricula dixit.“

Neque minus prisci alicuius poetae verba in suum sermonem convertisse suspicor Censorinum in exordio libelli de die natali: „Munera ex auro vel quae ex argento nitent, caelato opere nonnunquam quam materia cariora ceteraque hoc genus blandimenta fortunae inhiant hi, qui vulgo divites vocantur“ (ed. O. Jahn. *inhiat is, qui vulgo dives vocatur* ed. Havercamp.) Qui, ut paucis exemplis defungar, p. 12 „in Italia nymphas indigenasque faunos nemora quaedam tenuisse, non difficile antiquorum credulitas recepit“, tam manifesto expressit Vergilium Aen. VIII. 314.

Haec nemora indigenae fauni nymphaeque tenebant, ut vel sciolus quidam iam a Modio lect. novant. ep. 56 notatus post *in Italia* verba *poeta cecinit,* quae in codd. extant, interpolaret. Idem quod p. 11. non pressius etiam vestigia Lucretii l. V. 808 *crescebant uteri terram radicibus apti* secutus est, quum ait, *uteros nescio quos radicibus terrae cohaerentes primum increvisse,* id minus vulgari locutioni *terram radicibus apti* tribuas. Neque id est quod miremur in Censorino, qui a Prisciano I. 19. Kr. doctissimus artis grammaticae vocatur et inter nobilissimos grammaticos, qui suis saeculis honoris decus habuerint, cum Palaemone, Phoca atque Probo numeratur a Cassiodoro de arte grammatica I. In ea vero quam apposui parte exordii variis poetarum flosculis distincti facilius metri leges subeunt

celeraque hoc genu' blandimenta
fortunae hic inhiat, qui vulgo dive' vocatur,

quam ut casu id fieri mihi persuadere possim. Adde colorem sermonis priscae aetatis poeta prorsus dignum, quem haud scio an probabiliter Horatianum illum *uni aequum virtuti atque eius amicis* fuisse conicias. Certe Lucilio, cuius saturarum liber XVI. paulo infra ab eodem Censorino memoratur, satis convenit sententia, atque ipsa illa loquendi ratio, qua *hoc genus* quarto pro secundo aut sexto casu effertur, ei admodum est familiaris cf. Lucil. ap. Non. 18. *et id genus rudus* p. 137 et 209 *pulmentaria ut intubus aut aliqua id genus herba* p. 235. p. 19. Quod superest, ne quis in v. *dive'* haereat, fateamur quidem oportet, elisionis literae *s* in syllabis finalibus *ŭs* et *ĭs* frequentissimae, in vocibus syllaba *ĕs* terminatis nulla exempla servata esse. At neque Mar. Victorinus p. 2472 P. *videtur plurimis esse quintus communium syllabarum modus, qui apud Lucilium et veteres multos est frequentatus, ut correpta vocalis desinat in s et excipiatur ab alia consonanti vel vocali loco consonantis posita,* ullam brevem vocalem literam *s* praecedentem exceptam fuisse dicit, neque cur excipienda fuerit assequimur, adeoque rara sunt latina vocabula non solum in *ăs* et *ŏs,* sed etiam in *ĕs* exeuntia (Graeca vocabula in *ŏs* Lucilius bis truncavit: *ne rhetoricotero' tu sis* ap. Cic. de orat. III. 171 et *scorpio' cauda Sublata* ap. Non 181. 266. 385), ut hanc penuriam casu adductam esse optimo iure cum Schneidero gram. lat. p. 348 credi possit.

Contra *ὀλίγῳ τε φίλῳ τε* h. e. uno verbo locupletandum est Ennianum illud, quod Isidoro debemus orig. X. 270 „tetrum enim veteres pro fero ut Ennius: *tetrosque elephantos* (*elephantes* codd. al.) Terribilis, quia e. q. s.“ Ita omnes libri praeter unum, sed omnium, quos contulit editor, praestantissimum Guelpherbytanum 1. (cf. Lindem. praef. p. X.) in quo est: „*t. e. tenuimus.* Terribilis e. q. s.“ *Tenuimus* Vahlenus corruptum putat ex *ut Ennius,* dittographia, uti videtur, eorum

verborum statuta, quae ne proxime quidem praecedunt. Quod improbabile est. Mihi latere videtur *terruimus,* quod quam facile a librariis una cum versu fragmentum claudi opinantibus, praesertim post corruptelam illatam vel in tanta vocis insequentis similitudine omitti potuerit, cui non apertum et perspicuum est? velut in Lucilii versu apud eundem Isid. XIX. 7. 2. *Et velut in fabrica fervens quum marculus ferrum Multorum magnis ictibus tundit* post *magnis* participium *tuditantium* praeclara Scaligeri coniectura restitutum excidit, quod vel huius vocis, qua Ennius et Lucretius utuntur, vel eiusmodi hiatus raritas erat offensioni. Ceterum in versu Lucani (I. 563) orig. XI. 3. 6. Guelph. 2. et Zittav. *conteruit* pro *conterruit* praebent. Denique ne in eo haereas, quod Isidori novem alia fragm. Enniana plenis hexametris concluduntur (*atque genua comprimit arta gena* orig. XI. 1. 109. recte Vahlenus addubitavit), opportune fit, ut sententiae singulae singulis ibi versibus contineantur. Idem Isidorus alias non dubitat integris hexametris vel praemittere vel subicere singula verba: nonnunquam utrumque fit cf. II. 4. 6. II. 30. 8. XV. 13. 8. I. 36. 33. XII. 2. 21 al. Sententia vero *tetros elephantos terruimus* optime quadrat in bella cum Poenis vel maxime cum Epirotarum rege gesta, quae libro sexto, cui fragm. inserendum videtur, enarrabantur, velut de pugna Asculina auctor est Florus I. 18: *C. Minucius .. unius proboscide abscissa mori posse belluas ostenderat. Itaque et in ipsas pila congesta sunt, et in turres vibratae faces tota hostium agmina ardentibus ruinis operuere* vel de Beneventana, quo haec pertineant, tradit Plutarchus in Pyrrho c. 25.

Confidenter locutus sum: docendus potius quam docturus aliam suspicionem expromo, quum me ipsum minime fallat, quam sit tota haec disputatio in lubrico et ancipiti posita. Admodum enim me torquet Nonius p. 183 „veget pro vegetat vel erigit.. Ennius Ambrachia *et aequora salsa veges ingentibus ventis.*" Haec ad Ambraciam, e qua ab eodem Nonio tria fragmenta trochaica et iambica traduntur p. 88. 469. 471 — praeterea nihil de ea constat — referri solent, quam Bothius primum comoediam, deinde tragoediam et Welckerus quidem eandem atque Andromachen Molossiam habet, denique Theodorus Hugius meus, id quod maxime probo, togatam tabernariam ut Naevii Clastidium (cf. Klussmannum p. 131) fuisse arbitrabatur in rebus Romanorum Ambraciam obsidentium versatam, cui obsidioni ipse Q. Ennius cum Fulvio Nobiliore a. 565 teste Cicerone in Brut. 20. 79 et pro Arch. 2. 27 interfuit. Verum in hoc fr. primum suspicionem meam movet coniunctio *et,* qua inter omnes Ennianas reliquias — sunt autem satis multae, a diversissimis scriptoribus relatae — nisi una cum versu (ann. 132. 148. 355. 469 trag. 382 ann. 158 ?) duae tantum exordiuntur trag. 133. ex Nonio p. 198 *Et quis illaec*

est, quae lugubri Succincta est stola? et ann. 453 ex Macrobio Sat. VI. 4 „pulcre *vomit undam* et antique: nam Ennius ait: *Et Tiberis flumen vomit in mare salsum.*“ Quorum fragmentorum in priore, ubi *et* ne multum quidem offendit, quantillum est ex *etquis* efficere *ecquis* velut apud Ciceronem de div. I. 20. 40. *Excita cum tremulis anus attulit artubus lumen* (ann. 36) alii codd. *excita*, alii *et cita*, alii, ut nuper in Jahnii annal. annotatum est, *eccita* habent: in Macrobiano nisi forte *et* ex *ait* provenit, quod minus credo, vix dubito, quoniam tantum non omnia Enniana a Macrobio prodita plenis versibus comprehenduntur, quin sollemni Tiberis epitheto reducto refingendum sit: *Et Tiberis [flavum] flumen vomitn imare salsum.* *Atque genua comprimit arta gena* ap. Isid. orig. XI. 1 (quo excepto nullum fragmentum nisi una cum versu a coniunctione *atque* orditur) iam alio nomine suspectum a Vahleno remotum est cf. inc. libr. rel. XVI. Deinde vero quis negabit, verba *et aequora salsa veges ingentibus ventis* hexametrum ἀκέφαλον efficere trochaeo in consonam vel dactylo in vocalem exeunte supplendum, admodum eum in quavis fabula molestum. Certe in omnibus Ennianis fabulis nullus aut invenitur aut facile refingi potest praeter unum hexametrum a Macrobio, nisi in eius origine indicanda erravit ut homo, quo in genere nonnunquam peccavit, ex Melanippa (*menalippe* codd. aliq.) relatum: *Lumine sic tremulo terra et cava caerula candent,* de quo ut mihi nondum constat ita venientium dierum iudicium expecto. Quibus difficultatibus omnibus eripietur, qui sibi persuadere potuerit, vocem *Ambrachia* aut Nonii ipsius stupore, quo alios plerumque exscribit, aut incuria librarii, cui Ambraciae nomen inter scribendum innotuerat, conflatam esse ex annalium, immo ex primi libri nota et ex vocabulo *brachia*, sententiae ita fere accommodato:

[O Neptune pater, qui terrae margine tendis]
Brachia et aequora salsa veges ingentibus ventis.

cf. Ovid. metam. I. 14 *nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite.* Quae commode ad Aeneae fata aut ad deos invocantem Iliam referri possint cf. ann. 53 — 55.*) Nec desunt consimilis binorum vocabulorum confusionis exempla ut ann. 79 ex Nonio 516. „Ennius *lupiastic quem nunc tu tam torviter increpuisti,*“ unde Scaliger: „Ennius lib. I. *Ast hic* e. q. s.“ cf. ann. I. fr. IV. ex Probo p. 1401. P. trag. 345 ex Non. p. 245. Integro quidem metro, sed sententia manca

*) Etiam O. Ribbeckius in com. lat. rel. quem librum, quum haec iam scripsissem, nactus sum, Ambraciam neque tragoediam neque comoediam, sed togatam habet et hunc versum partem hexametri esse suspicatur. Quae extent ap. Non. fortasse constituenda esse:

„*Ennius un[naltum . . .] aequora*“ e. q. s. „*[idem] Ambracia . . .*“ vel:
„*Ennius Ambracia [. . . idem annalium . . .] aequora*“ e. q. s.

saepe versus traduntur velut ann. 103 *virginis: nam sibi quisque domi Romanus habet sas* ex Festo p. 325 collatis iis, quae Lachmannus adnotavit ad Lucr. VI. 1067. Versum vero 158. annalium quod suspectum esse significavi (in codice Festi p. 258. s. *quadrata Roma* legitur: „eius loci Ennius ·m· — i. e. meminit — cum ait: *et quis est erat Romae regnare quadratae*“), et iam dudum in schedis meis notaveram, quod a M. Hertzio prolatum esse video, *sextus erat,* compendio enim significari solebat syllaba finalis *us,* et pinguius profecto poeta de sexto Romanorum rege i. e. Servio Tullio praedicare perrexisset: *et qui sextus erat Romae regnare quadratae.* Cuius ipsum nomen sat facile inferre licet, modo emendaveris:

[S]eruiu' sextus erat Romae regnare quadratae.

Erat autem inter ea, quae turbas moverent, quode infra plura videbimus, omissa illa subtrahenda litera finalis *s.*

Transeo unde profectus sum, ad emendanda nonnulla vel nondum vel parum feliciter adhuc temptata. Ac primum quidem apud Donatum in Terent. Phorm. II. 1. 57. „Horatius contra pro columine columnam. Ennius X: *regni versatum summamve columnam*“ (ita Lindenbruchius), quod voce *pilam* illata Vahleno nuper probavimus *regni versatum [pilam] summamve columnam,* neque id iam nobis ipsis satisfacit, neque placere potest Scaligeri illud apud Merulam: *regni versatam iam summovere columnam.* Insistendum est potius vestigiis Gandaviensis et Leidensis codicum et editionum veterum: *summam vero.* Ita enim verbum, unde supinum *versatum* suspensum sit, in ipso hoc versu restituere licet scribendo:

regni versatum summam venere columnam.

Facile enim ex *summāuenere* oriebatur *summam vero* nec sprevit Ennius perfecta, qualia sunt *peperere* ann. 427. Sat. 21 *coepere* ann. 528, *dedere* trag. 190, *gessere* trag. 295. al.

Deinde neque satis expedite procedunt, quae e Macrobio Sat. VI. 3 leguntur ann. 432 e. q. s.

configunt parmam, tinnit hastilibus umbo
aerato sonitu galeae:

neque *umbonem galeae* dici exemplo constat, neque *aeratum sonitum* sine summae audaciae opprobrio admitti posse credo. Immo *umbo* hic aeque est clipei atque apud eum, qui teste Macrobio l. l. Ennium ut Ennius Homerum Il. XVI. 102 h. l. imitatus est, Vergilium Aen. IX. 808 e. q. s. *strepit assiduo cava tempora circum Tinnitu galea, et saxis solida aera fatiscunt Discussaeque iubae capiti: nec sufficit umbo Ictibus,* teste etiam Servio „i. e. scutum, nam totum a parte significat [umbo enim media clipei pars eminens est]“: nec possunt non pro corruptis haberi

aerato sonitu galeae, unde quum alia exculpi possunt velut *aera danunt sonitum galeae,* probabatur enim *danunt* pro *dant* Naevio, Pacuvio, Caecilio, Plauto v. Nonium p. 97 — improbo autem, si qui *galeae* pro plurali numero habituri sint — tum manum ducente ipso Vergilio (*strepit tinnitu galea* et *solida aera fatiscunt*), oratione post *umbo* incisa, restituendum videtur:

aera tonant sonitu galeae.

In quibus ne cui *tonat galea* asperius videatur, quamquam inter ea fuerit, quae Vergilius quidem tanquam aspera fugerit, hoc verbum minime eum tantum fragorem, qualis tempestate esse soleat, sed pro etymo suo quemvis vehementem sonum denotat velut ap. Lucr. II. 618 *tympana tenta tonant palmis et cymbala circum Concava.*

Nec in primo annalium libro Ennius scripsit, qualia in eiusdem Macrobii saturnalibus VI. 1 codices praebent:

nec pol homo quisquam faciet impune animatus
hoc nisi tu: nam mi calido das sanguine poenas,

cuius fragmenti ultimam partem servavit etiam Servius in Aen. IX. 422: „Ennius in primo: *nam mi* e. q. s." Ea Romulo novis moenibus insultantem fratrem occisuro tribuenda esse, non licet negare; sed de interpretatione despero. Nam si verba *nemo impune faciet hoc nisi tu* ea qua par est simplicitate explicaveris, nonne Romulus diceret: *Tu solus hoc impune facies?* Ineptissime quidem et ipsorum, quae sequuntur, verborum sententia refragrante. Adde quod ne proficiunt quidem artificio suo quidquam, qui interpretari audeant: *Nemo impune faciet, nisi tu impune feceris,* quum verbis *nam tu calido das sanguine poenas,* quorum integritas Macrobii et Servii consensu probatur, ne sententia turpiter hiaret, necessario praemissum esset enunciatum, quo affirmaretur *tu non impune facies,* neque vero quo contineretur conditio *nisi tu impune feceris.* Nec denique audiendi sunt, quibus uti in Luciliano versu teste Nonio p. 129 et 167 *impuno* est *impudens,* ita *impune animatus* Graecorum *ἀκόλαστος φρενῶν* esse videatur. Quae quum ita sint, facere non possumus quin ad emendationem confugiamus, si quid video pronomini *hoc,* e priore versu satis invenuste exterminato, et *nisi* coniunctioni ita adhibendam, ut coniunctioni *nec* alterum *nec* et *faci'* praesens praesenti *das* respondeat. Quo facto vide mihi, quam expedite procedant:

[talia facta]
nec pol homo quisquam faciet impune animatus,
nec faci' tu: nam mi calido das sanguine poenas.

Atque *nec* facile transibat in *hoc,* ut *nomine Burrus* ap. Non. p. 226 in *homines B.*

nec scriptam modo subtrahendam illam *s* literam, sed etiam omissam — omiserunt autem non raro — subinde corruptelae causam fuisse exemplis probavit Lachmannus ad Lucret. I. 186.

Porro duplex luctatio instat cum Festi vitiis Penthei instar truncati et lacerati: qui quum p. 169 s. *navus* Ennii versum memorat:

Navus repertus homo, Graio patre, Graius homo, rex

continuatum procul dubio eo, quem idem Festus et Nonius servaverunt *Nomine Burrus, uti memorant, a stirpe supremo* (sic), neque *homini* per appositionem quam vocant adiectus *homo* neque putida ista diligentia poeta prorsus indigna quamvis rudiori Quinti nostri arti obtrudi debet, quae non contenta Pyrrhum Graeco patre ortum significasse eundem Graecum hominem esse curiosius adiciat. Quid igitur? *Graius homo* sedem *Graiugenum,* quos iam Pacuvius ap. Cic. de nat. deor. II. 36. et Catullus 64. 36. vocabant, iniuste occupavit. Desinant igitur diutius exulare. Item revocetur etiam ann. 400 verbum *pericla,* cui idem librariorum genus *peritus* supposuit in versu, quem ex libro XVI. idem profert p. 278:

Primus senex bradus in regimen bellique peritus.

Qui enim *bradus* i. e. ingenio tardus dicitur, unde provenit *Bradua,* cognomen plurium posterioris aetatis ac praecipue circa annum CXC p. Chr. n. consulum, non potest idem *belli peritus* dici, quod illud adiectivum semper vituperationem tarditatis, nunquam nescio cuius prudentiae laudem continet, literarum transpositione in *bardus* mutatum, quale non ita rarum est cf. Paulum Festi p. 34. Non. p. 10. Apertiora autem sunt codicis vestigia, in quo est *bradyn,* quam unde aliud ac *bradys* elicere liceat, cui quum testibus Cicerone in orat. 48. 160. et Mar. Victorino p. 2456. P. Ennius litera *y* abstinuerit, *bradus* substitueris. Speciosius igitur quam verius vel Bergkii illud *ratus in regimen* ephem. lit. hal. l. l. cui qui Graeca vox offensioni esse potuerit, non capio, quum non solum Macrobius Sat. VI. 4. habeat: „[Vergilius] inseruit operi suo et Graeca verba, sed non primus hoc ausus: auctorum enim veterum audaciam secutus est . . sicut Ennius in nono: *lychnorum lumina bis sex*“, verum etiam inter alia servata sint *malaci* in Sota 1. *daedala* inc. lib. XXI. *petris* 366, *agea* 484. *pausa* 348. 572. *sophiam* 227. *machaeras* 585. trag. 212, quemadmodum idem ter utitur voce *catus,* quae auctore Varrone de l. l. VII. 46. Sabina est. cf. Graeca multo frequentiora apud Lucilium, quae congessit Gerlachius p. CXXIX. Vechneri hellenolex. I. 2. Nec denique omnes senes sunt Fabii: sunt etiam, ad quos vel ex his libri XVI. laciniis praeter alia pertinere potuerit, quod de voce *Hebes* in eodem libro Flavius Caper ap. Charis. I. p. 107. P „non ut adiunctivo“, inquit, „sed appellativo est locutus [Ennius]“.

Denique, ut nonnulla alia alias expromenda seponam, labeculam absterserim Ammiano Marcellino in iis, quae satis ulcerosa, non difficilia tamen sanatu libr. XXIX. §. 29. e. q. s. de Patricio et Hilario leguntur aetate Valentis imperatoris cum magno infortunio suo τραπεζομαντικῇ futura quaerentibus: ubi quod est §. 31. *pensilem anulum librans sartum* (al. *arctum*) *ex Carpathio filo perquam levi, mysticis disciplinis initiatum,* emendandum est *aptum* i. e. suspensum. *S* enim praecedenti vocabulo originem debet, *R* autem et *P* facile inter se commutantur. Idem invenit simul et reiecit ut postea cognovi Wagnerus, nimirum perperam interpretatus „aptum i. e. mensulae aptatum“.

Denique, ut nonnulla alia aliis expromenda seponam, labeculam absterserim Ammiano Marcellino in iis, quae satis ulcerosa, non difficilia tamen sanatu lib. XXIX. §. 29. e. q. s. de Patricio et Hilario leguntur aetate Valentis imperatoris cum magno infortunio suo τραπεζομαντείᾳ futura quaerentibus: ubi quod est §. 31. *pensilem anulum librans sartum* (al. *arctum*) *ex Carpathio filo perquam levi, mysticis disciplinis initiatum*, emendandum est *aptum* i. e. suspensum. *S* enim praecedenti vocabulo originem debet, *R* autem et *P* facile inter se commutantur. Idem invenit simul et reiecit ut postea cognovi Wagnerus, nimirum perperam interpretatus „aptum i. e. mensulae aptatum“.